

mendari posse. Alia quædara meo nomine exponet Reverendissimis Dominationibus vestris Vuihelmus de Inkevort prothonotarius apostolicus amicus meus antiquus et præcipuus cui audientiam dari et fidem indubiam haberi peto. Valeant Reverendissimæ Dominationes vestræ in Domino fæliciter.

Victoriæ XVIII Februarii 1522.

Reverendissimarum Dominationum vestrarum  
amicus et confrater

HADRIANUS  
*electus Pontifex romanus.*

*A tergo:* Reverendissimis in Christo patribus et dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sacro Cardinalium Collegio Dominis et amicis colendissimis.

48 *Exemplum. Alia littera ejusdem electi Pontificis Maximi ad Reverendissimorum Cardinalium. (Collegium).*

Reverendissimi in Christo patres domini et confratres carissimi.

Omnipotentis Dei et Reverendissimarum Dominationum vestrarum ingentia erga nos merita faciunt ut nullis litteris nullis officiis eis satisfieri posse arbitramur. Licet enim earum litteris responderimus et optimam mentem nostram Reverendissimis Dominationibus vestris ostenderimus, visum tamen est ut certiora animi nostri inditia cognoscerent, Antonium de Studillo camerarium nostrum secretum remittere, quem ad nos Reverendissimæ Dominationes vestræ cum suis litteris miserant, ut eis primum gratias nostro nomine ageret, quas nos præsentes quantum in nobis erit relaturi sumus, quod tam benigne in nostri electione fuerint, rogelque dum absimus omni ope nitantur ne quid dispendi Status sanctae Sedis Apostolicae patiatur. Quam rem tametsi certo scimus Reverendissimas Dominationes vestras pro summa earum prudentia et pietatis debito facturas, nec ullis adhortationibus opus esse, nihilominus nos vix nobis ipsis satisfacere possumus in cogitando et providendo ea quæ ad pacem inter omnes christianos principes universalem conficiendam ac salutem, ocium et dignitatem Sedis Apostolicae pertinere judicabimus, ut Ecclesiae Status tranquillum et florentem atque auctum videamus; quod maxime consiliis vestris perfecturos speramus. Et interea, quanta possumus celeritate,

omnia paramus ut quamprimum ad urbem et Reverendissimas Dominationis vestras visendas salutandasque nos conferamus. Quorum Legatorum exoptatum adventum summis desideriis expectamus, quod solum in præsenti nostrum remoratur discessum, prout idem Antonius nostro nomine referet, cui in omnibus fidem indubiam adhibere placeat. Bene valeant Reverendissimæ Dominationes vestræ.

Ex Victoria, die ultima Februarii 1522.

Reverendissimarum Dominationum vestrarum  
amicus et confrater

HADRIANUS  
*electus Pontifex romanus.*

*A tergo:* Sacro Collegio Reverendissimorum Dominorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium.

*Exemplum litterarum antedicti novi Pontificis 48.  
maximi ad Senatum Populumque Romanum.*

Magnifici ac praestantes viri.

Cum ex immensa Dei benignitate unanimi omnium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consensu, absentes ac nihil tale cogitantes in Romanum Pontificem electi fuissemus, intelleximus vos pro vestra summa in Omnipotentem Deum pietatem et Sanctam Sedem Apostolicam devotionem magnopere lælatos, ac optimis præcationibus et laetis plausibus nominationem nostram prosecutos fuisse. Tum, cum nos tam longe ab urbe ac eam remotis in partibus agere cogitaretis, ex desiderio nostri tristiores eratis, idque solam magnam gaudij et lætitiae vestrae partem vobis adimebat, quod certe intellexisse fuerit nobis quam gratissimum, utrumque enim optimæ voluntatis constantissimæ fidei vestrae erga nos et Apostolicam Sedem certissimum est argumentum. Quare meritas magnasque vobis agimus gratias, et cum ad urbem veniemus, ea vobis refferemus cumulatissime. Interea, vos omni que possumus caritate hortamur et plurimum rogamus, ut nostram hanc absentiam, quæ nobis multo magis gravis et molesta est, quam vobis esse potest, aequo animo feratis, dum omni diligentia et totis nostris conatibus, quæ profectionis nostræ sunt necessaria, paramus. Et jam classis instruitur et commeatus jussu nostro undecumque conqueruntur, quibus in rebus a Cæsarea Majestate pro sua in nos benevolentia et